

Joachim Heinrich Pries Bernardus Beckwall

Disputatio Historico-Theologica, De Prophetis Et Apostolis Salva Inspiratione Divina Amanuensium Opera In Scribendo Usis

Rostochii: Litteris Adlerianis, 1757

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840899602>

Druck Freier  Zugang





a. B.
48. b. 31.

55

428

Fa 1092 (55.)

1. Nakhmacher, de discrimine inter preparationem euangelicam et euangelii demonstrationem
2. Braun, de ins. Margal nuno insignis exultans nuna inu. Pul. Sign. Dush. fm.
3. Jacobi Anthropomorphismus a vera notione immensitatis, sapientiae, libertatis, atque aeternitatis diuinae remotus.
4. Lange, religiosam natalis Domini celebrationem.
5. Treller, de vino modico hypochondriacis salutaris ad sacrum locum Thimoth. 5. 23.
6. Quistorp, de adoptione ecclesiastica veteris Testamenti.
7. Carpow, de regis Iesiae Prophetae natalibus.
8. Hartmann, argumenta, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita, negantia.
9. Hartmann, ideam generalem unice verae religionis ex scriptura sacra, et specialiter ex Rom. 12., 1. 2. euoluentis etc.
10. Hartmann, ideam generalem unice verae religionis ex scriptura sacra, et specialiter ex Rom. 12., 1. 2. euoluentis sectionem exegeticam posteriorem etc.
11. Hartmann, argumenta, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita, negantia.
12. Hartmann, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita.
13. Prier, de officiis Christi nonnulla momenta generalia sistens.
14. Stepinus, de directorio corporis euangelicorum.
15. Prier, de Prophetis et apostolis salua inspiratione diuina.
16. Stepinus, demonstratio existentia diuina ex scriptura sacra.
17. Carpow, de verbis Davidis, maledicentiam simeiticam concernentibus: 777 777 777 א' הוה 2 Sam. 16. 10.
18. Halman, de 5ε γαρω ε; ακανδωv. corona de spinis. Matth. 27. 29.
19. Halman, de 5ε γαρω ε; ακανδωv. corona de spinis. Matth. 27. 29.
20. Quistorp, de peccato originis.

2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.

- 21., Quistorp, de fide Dei opere, Joann. 6. 29.
- 22., de Marie, de explicatione Joann. 14. 23.
- 23., Hartmann, de Jesu Nazareno vero Messia.
- 24., Mangel, de significatione vocis Susdaimonia in Novo Testamen-
to ad illustranda loca Act. 17. 22. c. 25. 19.
- 25., Pries, de non consumatis partibus Veteris Testamenti ex Epist.
ad Hebr. 11. 39. 40.
- 26., Sasse, de Christo, et sacerdote et victima in omnium salutem.
- 27., Raempfer, de modo praedicationis paulinae. 1 Cor. 2. 4. 5.
- 28., Quistorp, de Judaeis corde compunctis. Act. 2. 37.
- 29., Carpon, de Jonae visionibus etc.
- 30., Hartmann de vaticinio Simeonis. Luc. 2. 34. 35.
- 31., Riederer, Ein überaus seltsam Reformationswunder.
- 32., Riederer, Anhang zu dem Reformationswunder.
- 33., Engel, de rationibus consequentiae immediae.
- 34., Mayohl, de angelorum corpore proprio.
- 35., de dono Spiritus Sancti. etc.
- 36., Vittenzwey, anti-blanchiana.
- 37., Heinius, de auctore et causa stragis Aegyptiorum tempore Ege-
chiae Judaeorum regis ad Illustrationem Jesaiae c. 37. 36.
- 38., Reuß, de gratia Spiritus Sancti applicatae in genere.
- 39., Nahmasher, de introductione in septem epistolas catholicas
lectio tertia.

Q. F. F. Q. S.
DISPUTATIO HISTORICO-THEOLOGICA,
DE
PROPHETIS ET APOSTOLIS
SALVA INSPIRATIONE DIVINA
AMANVENSIVM OPERA
IN SCRIBENDO
VSIS.

CVIVS PARTEM PRIOREM,
SUMMO FAVENTE NUMINE,
SVFFRAGIVMQVE FERENTE SUMME REVERENDA
FACVLTA TEologica,
IN ACADEMIA VARNO - BALTICA,
SVB PRAESIDIO

IOACH. HENR. PRIES,

S. S. THEOL. D. PHILOS. PRACT. P. P. O. ET AD AEDEM
D. IOHANNIS PASTORIS,

AD DIEM XVII. AVGVSTI, A. O. R. MDCCLVII.

H. L. Q. C.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT,

BERNARDVS BECKWALL,

HALLANDO - SVECVS, S. S. THEOL. CVLTOR.

ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS,

dupl

DEPARTMENT OF HISTORICAL LINGUISTICS

PROPHETIS ET APOSTOLIS

IN LINGUA INSPIRATA

AMMANUENSIVM OPERA

IN SCISSINDO

ADIVS PAVLEN CRISTOS

SVNDAD PAVLENTE NYMINE

SVTTE CIVMONT EPVNTS SYMME REVERENDIA

ET SVTTE LINGVISTICA

IN LINGVA VIBNO SVTTE

IOACH. HENR. PRIES

AD DIEM XVII AUGUSTI A. R. MDCCCLIII

M. D. C.

SVTTE SVTTE SVTTE SVTTE SVTTE


SVTTE SVTTE

BERNARDUS BECKWALD

SVTTE SVTTE SVTTE SVTTE SVTTE

ROSTOCK

LITTERIS ADLRIANIS



PRAEFAMEN

HISTORIAM THEMATIS TRACTANDIQUE RATIONEM EXPONENS.

Ea est Scripturae Sacrae, qua se a scriptis reliquis, quotquot in orbe extiterunt unquam, distinguit, praerogativa, quod Deus ipse ejus scribendae initium fecerit, quippe qui Decalogum, duabus tabulis lapideis ipso suo digito inscriptum, Mosi exhibuit, Ex. XXXI. 18, XXXII. 16, Deut. IX. 10. Non placuit tamen Summo Numini, ut in omnibus illis, quos Ecclesiae ceu normam fidei vitaeque dare decreverat, libris, huic viae, quam primitus ingressus fuerat, insisteret, sed scribi voluit per Sanctos Viros a Spiritu Sancto actos, 2 Per. I. 21, quos Amanuensium Dei, caularum instrumentalium, autorum Scripturae S. secundariorum, nomine in Theologia appellare solemus. Verum nec hi omnes scripserunt propria manu, sed aliorum potius opera in scribendo usi fuerunt, ita quidem, ut quaecumque a Spiritu S. ipsis suggesta fuerant, iis, quos scribas suos esse voluerunt, vel dictarint, ut eorum manu & calamo in membranis consignarentur, vel ita, ut quae scripserant ipsi, illis describenda tradiderint. Et in hac quidem nobiscum versantur opinione

A

ferme

) 2 (

ferme omnes, Ecclesiae Patres 1), Scholastici 2), et Theologi, quotquot hac de re consulere nobis licuit, non nostrates solum 3), verum omnium

- 1) Loca PAPIAE, IRENAEI, TERTULLIANI, CLEMENTIS ALEXANDRINI, ORIGENIS, et imprimis HIERONYMI, congescit Doct. Dnus STOSCHIVS mox citandus. Quibus omnibus addimus summum CHRYSOSTOMYM, in *commentar. ad Gal. VI. II.* scribentem: „Nihil aliud inuit, nisi quod ipse totam scripserit epistolam . . . in ceteris enim epistolis subscribebat quidem ipse, ceterum alius scribebat, idque liquet ex ea, quae est ad Romanos epistola.“ Hunc sequitur THEOPHYLACTVS, docente ERASMO ad Gal. VI. II, in *Crit. Angl. Tom. V pag. 541*, idemque sentit AMBROSIVS, in 2 Thessal. III. 17. scribens: „propter interpolas et adulteratores scripturarum, semper se sua manu in omni epistola sua salutationem subscribere testatur, ut sub nomine ejus Epistola accepta ferri non possit, quae non fuerit manu ejus subscripta.“
- 2) ANSELMVS apud CORNEL. a LAPIDE in *Comment. ad Col. IV. 18.*
- 3) Nonnullos saltem allegabimus, quotquot noster, qui nobis ad manus est, librorum apparatus nobis suppeditavit. Huc pertinent VINARIENSES ad Gal. VI. 12, TVBINGENSES ad Roman. XVI. 22. b. IOH. GERHARDVS in *annotat. posthumis ad Epist. ad Romanos pag. 469*, b. ERASM. SCHMIDIVS in *notis ad N. T. pag. n. 1039*, aliisque locis, b. MICH. WALTHERVS in *Harmonia Biblica*, pag. 685, b. CALOVIUS in *Bibl. illustr. N. T. Tom. II. pag. 246, 925. 926.* b. noster SCHOMERVS in *exeget. in Epist. ad Romanos pag. 68, ad Gal. pag. 30, ad 2. ad Thessal. pag. 142*, b. IOH. BENED. CARPZOVIVS in *Disput. Academ. pag. 1337, 1338*, b. RYMPAEVS in *Comment. critica ad libros N. T. in genere §. 42. pag. 247. seqq.*, b. RAMBACHIVS in *introd. in Epist. ad Romanos §. 3 pag. 15*, item in *Comment. in Epist. ad Romanos Cap. XVI. 22. nec non in Hist. Eccles. V. T. Tom. II. pag. 531*, b. a MOSHELM in *der Erklärung des ersten Briefes Pauli an die Gemeinde zu Corinthus pag. 58*, b. ZELTNERVS in *Bibl. Altorf. et in Disp. de monogrammate Pauli*, b. WOLFIVS in *Curis Philol. et Crit. in N. T. Tom. I. pag. 295, 781, Tom. II. pag. 402. seqq.* b. CLAVSWITZ *Disp. de Autographorum Bibliorum jactura etc. pag. 3. 4* b. FOB. ECKHARD *de Synopsi Pauli, in Thesauro Disp. Exeget. in N. T. pag. 624. seqq.*
- S. Ve-



omnium propemodum sectarum 4), Dogmatici, Critici, Historici,
A 2 et

S. Vener. Dn. Cancellarius PFATFIVS *Dissert. de variis N. T. lectionibus pag. n. 38. seqq.*, S. Vener. Lubecensium Praesul Dn. D. IOH. GOTTL. CARPZOVIVS in *introduc.*, ad libros *Prophet. V. T. pag. 142. 143*, nec non in *Critica S. V. T. Part. I. Cap. I. §. 4. pag. 50.* Cel. Dn. D. HEVMANNVS *de scribis Epistoliarum Pauli, et in der Erklärung des N. T., Tom. VI. pag. 664.*, h. Dn. D. BAUMGARTEN in *der Auslegung des Briefes Pauli an die Römer pag. 816. seqq.*, S. Vener. Dn. D. HOFFMANNVS in *introduc.*, in *lectionem Epist. Pauli ad Galatas et Colossenses pag. 193.* S. Rever. Dn. D. HAVBERVS in *den bibl. Betrachtungen pag. 681 seqq.*, Vener. Dn. STARCKIVS in *Synopsi Biblioth. Exeg. in N. T. Tom. II.* Doctiff. Dn. Prof. MICHAELIS in *der Einleitung in die göttl. Schriften des N. B. pag. 41 et 437.* Doct. Dn. Prof. BÜSCHING in *introduc.*, in *Epistol. Pauli ad Philippenses S. G. X. pag. 48.* Dn. Prof. ELLENBERGER in *der Einleitung in die Bücher des N. T. pag. 319. seqq.*, nec non pag. 820, tandemque M. BRIEGLEB in *Dissert. quae Tertium scribam Epistolae Pauli ad Romanos scribit, Ienae 1754.*

4) Ex Pontificiis Card. BARONIVS in *Annal. Eccles. Tom. I ad A. C. 45. n. 34.* CORNELIVS a LAPIDE l. c., DES. ERAS-
MVS in *annot. in N. T. l. c. aliisque*, ESTIVS in *Commentar. in omnes Epistolas Pauli pag. 191., 591, 759.* SIXTVS SENEN-
SIS in *Biblioth. S. libr. 2. pag. 142.* CALMETVS in *Diction. Bibl. Tom. IV. art. Tertius pag. 53.*

Ex Calvinianis HAMMONDVS in *annotat. ad N. T. Tom. II. pag. 186.* ENSIVS in *Biblioth. S. pag. 47.* GISB. VOETIVS in *Dissert. Select. Tom. I. pag. 46.* STEPH. DE BRAIS in *Com-
ment. in Epist. ad Rom. pag. 194.* IOH. MILLIVS in *N. T. ad
finem Cap. XIV. Epist. ad Roman. pag. n. 361.* BRAVNIVS
in *select.* S. libr. I. Cap. 2. pag. 33. DODWELLVS in *Dissert.
Cyprian. Dissert. II. §. 4.* BEAVSOBRE *dans Nouveau Testament
Tom. II. pag. 84, 237.* MIDDLETON in *operibus posthumis
loco inferius citando.* DODDRIDGIVS in *Paraphrasi N. T.
Tom. III. p. 350.*

Ex Socinianiis IOH. CRELLIVS in *Commentar. in Epistolas ad
Thessul. pag. 240. seqq. ex edit. Racov. 1636.*

Ex Arminianis HVGO GROTVS in *annot. ad N. T. ad
Rom. XVI. 22, Gal. VI. 11, 2 Thess. III. 17. Vid. Crit. Angl. Tom.
V.* CONR. VORSTIVS in *commentar. ad omnes Epistolas Apo-
stolicas pag. 272.*



et Interpretes, maxime Epistolarum ad Romanos, Galatas et Thessa-
lonicenses, ad unum fere omnes, adeo, ut qui nobis hac in parte
contradicere velit, fateri tamen opus habeat, „de consensu Theologo-
rum me non adeo gloriari posse fateor. Dicendum potius quod res est.
„Contradicunt mihi ferme, quotquot consulere vacavit.“ Et *ἀποστολικῶς*
haec omnia confirmat.

In longe alia tamen discessit, Vir eruditus, inter Calvinianos
haud obscuri nominis, variisque doctrinae speciminibus dudum in-
clutus, Dn. FERDIN. STOSCHIVS, S. S. Theol. Doctor, in
Gymnasio Lingensi Linguarum et Antiquitatum Professor, Schola-
rumque Rector. Is enim variis scriptis 5), noya & in Ecclesia ha-
tenus

- 5) Iam ante Doctiff Dn. STOSCHIVM idem ex parte tentavit,
b. FRID. WILH. ROLOFFIVS, Berolinas, Ienae tunc tem-
poris, cum ista scriberet, literis vacans, postea Professor Viadrinus,
post varia eruditionis haud vulgaris specimina divulgata, 1741.
pie demortuus, in *Comment. de tribus D. Pauli Apostoli nominibus,*
ad illustrandum locum Rom. XVI. 22. Ienae 1731, a Cel. la CROZE
in *Thef. Epistol. Tom. III. pag. 229,* laudatus et approbatus. Quo
vero jure, nostra haec tractatio docebit. Is tamen non adeo longe
processit, ac Dn. STOSCHIVS, et de sola Epistola ad Roma-
nos Amanuensium ministerium abesse voluit, notatus recentius a
Dn. M. BRIEGLEB Disput. jam citata. Scripta Doct. Dni. STO-
SCHII, quibus sententiam suam cum erudito orbe communi-
cavit, sunt sequentia: 1. *Exercitatio de Tertio Rom. XVI. 22,* quae
observ. selectis a b. Dn. BARTHOLOMAEO Vinariae editis Fascic.
23. inserta legitur, cui tamen in *relationibus Hamburg. de rebus*
eruditis (Hamburg. *Ver. von gelehrten Sachen,* quae Doct. Dn.
KOHLLIVM autorem agnoscunt) 1748. pag. 32. varia haud le-
vioris momenti opposita leguntur. Repetit hanc suam differ-
tatiunculam de Tertio, ita tamen ut novum quoddam sententiae
suae lumen ac robur addere studuerit, in tractatu suo statim alle-
gato pag. 112. seqq. 2. *Tractatus Theologicus de Epistolis Apo-*
stolorum idiographis, quo Apostolos non per Amanuenses, sed sua manu
Epistolas suas scripsisse, luculenter demonstratur, Guelpherbyti 1751.
3. *Ἀποστολικὸν ἰδιῶν ἰς. Disput. Theol. de Epistolis Apostolorum pro-*
priis, qua Apostolos non per alios, sed ipsos, suo ingenio, suoque stilo
epistolas suas omnes exarasse, luculenter demonstratur. Lingae 1754,
cujus summam legere licet in den vollständigen Nachrichten von dem
Inhalte



Etentus inaudita nosmet docturus, communi Theologorum coetui semet opponere, contrariumque omni conatu defendere voluit, quid? quod intempestivo zelo abreptus, hanc de Scribis s. Amanuensibus a viris Θεοπνευστοῖς adhibitis sententiam, pro maxime periculosa, et in Θεοπνευστοῖς injuria declaravit, ita ut parum absit, quin eam cum SPINOZAE, COLLINSII, TINDALLI, WOOLSTONI, EDELMANNI, aliorumque in Scripturam S. injuriis, vel in ea explicanda minus tutis adfertionibus, quas in antecedentibus ex parte commemoraverat, uno eodemque loco habeat.

Nos igitur, qui amore veritatis ducti, ab eorum more longe alienos nos profiteamur, qui vel amplectendas statim esse eruditorum assertiones, censent, eo quod sint antiquiores, & communi eruditorum applausu donatae, vel rejiciendas ideo, quod recentius sint excogitatae, et unius alteriusve saltem calculo probatae, in id inducimus, ut utramque sententiam sollicito scrutinio subjiceremus. Vbi tamen dissimulare non possumus, statim nos animadvertisse, quam longe Doctiss. Dn. STOSCHIVS a vero aberrat. Inprimis autem durum hoc nobis nec facile concoquendum visum est, sententiam non solum in se innoxiam, sed etiam nisi nos omnia fallunt, in solis quasi disco positam, tam invidiose traduci. Quapropter de themate Dissertationis solliciti, praesentem de Amanuensibus Prophetarum et Apostolorum, quos salva Θεοπνευστοῖς adhibuerunt, reliquis omnibus, quae

A 3

nobis

Inhalte kleiner ocademischen Schriften 1755. pag. 524. seqq. In hac quidem Dissertatione hunc inprimis sibi praefixit scopum, ut iis se opponat, qui res tantum Apostolis, verba vero et stilum scribis adsignanda esse, pronuntiant, in quo quidem ipsi accedimus, ita tamen id facit, ut simul, quae de scribarum ministerio, in tractatu paulo ante allegato, produxerat in medium, ex parte repetat. Qui Doctiss. Dn. STOSCHIO hac in parte accesserint, vix unum alterumve deprehendere nobis licuit. De Doctiss. Dn. ESKVCHII consensu, per literas sibi significato, sibi gratulatur Dn. STOSCHIVS, plures tamen adesse ex Vener. STARCKII verbis conjicere vult, scribentis: Noch andere sind auf die Meinung gerathen, es sey dieser Tertius unser Paulus selbst. Ex quibus tamen aegre id colligitur. Interim tamen Vener. Dn. RATHLEFFIUM ab hac sententia parum abesse, ex ejus *Historia Autographorum Apostolicorum* §. 7. pag. 9. IO. cernere licet.

nobis semet obtulerunt, materiis antetulimus, maxime cum videremus, STOSCHII meditationes, praeter unum alterumve, qui incidenter suum de iis iudicium exposuerunt 6), haecenus ex instituto nondum fuisse accuratori censurae subjectas. Omnem igitur moturi erimus lapidem, ut universae huic materiae aliquantum lucis affundamus, veritatem hac in parte accurate et solide confirmemus, et contra Dni STOSCHII impugnationes strenue defendamus. Inprimis autem id agemus, ut quam vanus sit ille merus, inspirationi S. literarum ex nostra sententia periculum imminere, accurate demonstramus.

In sequentes igitur sectiones nostra se dividit tractatio, ita quidem, ut

Sect. I. de Amanuensibus Prophetarum V. T.,

Sect. II. de Amanuensibus Apostolorum in N. T., inprimis Pauli, tractemus, generatimque confirmemus, Paulum iis usum fuisse.

Sect. III. ad argumenta nobis opposita respondeamus,

Sect. IV. quas, epistolas Paulus Amanuensium opera consignari voluerit, disquiramus,

Sect. V. quinam Amanuenses a Paulo adhibiti fuerint, et

Sect. VI. quibus de causis id factum sit, indagemus,

Sect. VII. de Amanuensibus Petri nonnulla in medium proferamus, et

Sect. VIII. denique sententiam haecenus adstructam in *ἑοπίευσίον* nullo modo iniuriam esse, evincamus,

Faxit Deus feliciter et cum incremento veritatis!

SE-

6) Huc spectant Cel. Dn. HEVMANNVS in der Erklärung des N. T. Tom. VII. p. 665, et Doct Dn. Prof. ELLENBERGER in der Einleitung in die Bücher des N. T. pag. 321, recte et ex vero iudicans: die Erklärung von Paulo selbst, der sich Tertium nennen soll, klinge sehr gezwungen; wie im Gegentheil die Schwierigkeiten von diesem Schreiber hergenommen, nicht viel sagen wollen.

) 7 (

SECTIO. I.

DE AMANVENSIBVS PROPHE TARVM IN V.T.

§. I.

Comprobaturi : Viros Sanctos, quos Deus Scripturae S. causas instrumentales esse voluit, non semper propria scripsisse manu, sed Amanuensium nonnunquam adhibuisse operam, merito inchoamus a Prophetis V. T., ubi nobis occurrit IEREMIAS, de quo expresse satis commemoratur, ipsum in consignandis vaticiniis suis ministerio Baruchi usum fuisse. Is enim non solum Cap. XXXVI. 26. vocatur Jeremiae Prophetae Scriba (סֹפֵר), sed etiam cap. XXXVI. 2. coll. 4, 27, 28, 29, 32, nec non cap. XLV. 1, expressa ejus rei occurrunt testimonia, a nemine facile in dubium vocanda. Nos missis reliquis, quae de Barucho disputari solent 7), nonnulla saltem annotabimus, quae in sequentibus haud contemnendas nobis praestare possunt utilitates :

I. Baruchum ex nobilissima inter Iudaeos familia fuisse oriundum, dubio carer. Quod si enim IOSEPHI fides, hac in parte non sufficit, qui Baruchum vocat παιδα ἐξ ἐπισήμου σφόδρα οὐκίας οὐκίας 8) i. e. filium ex insigni familia natum, Scriptura S. nos id docere potest, quae ipsum fuisse dicit filium Nerjæ et fratrem

7) Legi haec possunt apud S. Vener. Dn. IOH. GOTTL. CARP-ZOVIVM, Theologum annis meritisque gravissimum, in *Introduct. ad libros Propheticos V. T.* pag. 142. seqq., et b. RAM-BACHIVM in *Hist. Eccles. V. T. Tom. II. pag. 531. seqq.* Addatur HVMPHR. PRIDEAVX in *der Connerion des N. und N. T. ic. Part. I. pag. 64. seqq.*, die allgemeine Weltgeschichte Tom. 3. §. 565, nec non TH. STACKHOVSE in *der Vertheidigung der biblischen Geschichte Tom. V. pag. 425.*

8a) *Antiquitat. Judaic. Libr. X. Cap. XI. p. n. 343. edit. Aurelianens*

fratrem Serajae, qui posterior fuerit שר־מְנוּחָה Ier. XXXVI. 4. et 8, coll. LI. 59, quae sive denotare credantur idem quod Princeps pacificus, sive indicare officium aliquod, vel aulicum, scilicet cubicularii Regii, vel civile, quale olim fuit εἰσηνοδόχων, sive tandem Serajae vindicare statuatur regimen in districtum Menuchah, cujus mentio fit Jud. XX. 43, et 1 Paral. II. 52, semper tamen probant id, quod exinde elicere volumus 8 b). Ex quo quidem sat clarum ac evidens esse putamus, officium scribae, quod Baruchus Prophetae Ieremiae praestitit, quodve videbimus etiam in N. T. Apostolis a nonnullis praestitum, non servile aliquod et abjectum fuisse munus, longeque alius conditionis, quam quidem librariorum, scribarum, tachygraphorum etc., quos sequiora tempora commonstrant.

2. Quidquid Ieremias per Baruchum consignari fecit, id ipsius Dei iudicio ipsa Ieremiae fuit scriptio. Ieremias enim non solum audito mandato Divino v. 2. ; Sume tibi volumen libri, ut scribas in eo omnia verba, quae proloquutus sum tibi de Israële et Iehuda etc. statim v. 4. vocat Baruchum filium Nerjæ, ut scribat ex ore suo omnia verba etc., adeoque de Divino consilio, quod quidquid per Baruchum fieri curaret, id se ipsum fecisse, certus fuit; sed Deus etiam ratam habet hanc scriptionem, non secus ac si ipsius esset Ieremiae, vid. v. 28, ubi Deus Prophetae volumen alterum accipere jubet, et in eo scribere omnia verba priora, quae fuerint in volumine illo priori, quod exusserat Iehojakimus. Atque haec omnia ita putamus esse evidèntia, ut nemo facile de iis litem nobis movere queat.

§. 2.

Plura exempla in V. T. non occurrunt. Quod si tamen auctori libri quarti, qui sub Esdrae nomine inter libros Apocryphos V. T. compareret, fides adhibenda foret, Esdras quinque Amanuensibus usus fuisset *Sarea*, *Dabria*, *Salemia*, *Echano* et *Abiele*, quorum opera quadraginta dierum spatio, ducentos quatuorve libros ex inspiratione

8b) Conf. b. ZELTNERVS in *Bibl. Altorf.* ad Ier. LI. 59. IOH. CLERICVS. in *Comment. in Prophetas V. T.* pag. 501, nec non *Critic. Anglic. Tom. III, pag. 249 seqq.*



ratione Divina consignavisset. Vid. Cap. XIV. 24. seqq. Cum vero absurditas fabulae adeo sit manifesta, ut qui eam non perspiciat, vix reperiatur quispiam 9), mittimus hoc exemplum. Id interim non sine ratione exinde colligimus: sententiam de Amanuensibus a Viris Θεοπνεύστοις adhibitis, primis antiquissimisque temporibus suos jamjam habuisse fautores, vel saltem periculo vacare creditam fuisse. Quomodo enim impostor ille sub Esdrae nomine scribens, eo delabi potuerit, ut Esdrae scribas tribuerit, si illa aetate Viros Θεοπνεύστους etiam Amanuensium ope scripsisse, aut minus creditum, aut inter sententias in Scripturam S. injurias repositum fuisset, vix apparet.

SECTIO II.

DE

AMANVENSIBVS APOSTOLORVM, INPRIMIS
PAVLI, VBI ANTE OMNIA EVINCITVR,
PAVLVM ISTORVM MINISTERIO
VSVM FVISSE,

§. I.

Pedem promovemus ad N. T. scriptores, ubi praeter Petrum et Paulum nemo nobis occurrit, qui Amanuensium adhibuerit operam 10). De Paulo, cujus epistolae primum in Canone
B N. T.

9) Provocasse hic nobis sufficiat ad laudatum jam aliquoties S. Vener. Dn. IOH. GOTTL. CARPZOVIVM in *Introduct.* ad *libros historicos V. T. pag. 321 seqq.* b. Dn. Cancell. a MOSHEIM in notis ad CALMETVM, et hunc ipsum in *den biblischen Untersuchungen Tom. V. Dissert. 84. pag. 36. seqq.*

10) Quod si impostori sub PROCHORI nomine scribenti, nec non Autori *Catanae in Iohannem*, tandemque ATHANASIO, fides habenda erit, Iohannes in conscribendo suo Evangelio Amanuensium

N. T. occupant locum, etiam primo disquiremus loco. Suppeditat is ipse nobis uno plura, probandi id, quod probandum nobis sumimus, argumenta. Omnium evidentissimum est, quod verbis Rom. XVI. 22. continetur: *Ego Tertius saluto vos, qui scripsi hanc epistolam in Domino.* Ille enim Tertius, qui Romanos salutat, non potest esse alius, quam scriba hujus epistolae. Sic enim argumentamur: Tertius ille aut est ipse Paulus, aut alius a Paulo diversus. Prius non adeo facile adsumi potest:

1. Quod si enim Tertius et Paulus unam eandemque denotarent personam, Tertii nomen etiam Pauli nomen esse deberet. Undenam vero hoc probabitur? Nec enim Lucas in Actis, qui tamen reliqua Apostoli nomina recenset Act. XIII. 9, aut Paulus ipse, aut scriptor quidam Ecclesiasticus, nos condocent, Paulum etiam Tertii nomen gessisse, et vel, ut volunt nonnulli: *Tertium Paulum Saulum 11*), vel ut alii credunt: *Tertium Paulum Saulum Tarsensem 12*) integro suo nomine appellatum fuisse. In historicis autem sine testimonio fide digno perperam aliquid statuitur.

2. Accedit, quod Paulus nunquam in epistolis reliquis pariratione saluandi officio defungatur, quod potius hac absolvere consuevit formula: *Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscum omnibus, vid. 2 Thess. III. 17. 18.* Aut igitur dicendum erit: Paulum ter salutationem suam propria manu repetisse, nimirum v. 20. 22. 24, quod legibus sapientiae, imprimis in Viro Θεοπνεύτω, repugnat; aut statuendum: Tertium ut scribam epistolae a Paulo diversum esse,

ensem adhibuit, qui fuerit vel ipse PROCHORUS, vel PAPIAS, vel GAIUS. Sequioribus temporibus huic sententiae non defuisse Patronos, testantur Codices Evangelii secundum Iohannem, in limine statim imaginem Iohannis Evangelistae distantis, et scribae excipientis, referentes, quales prodixerunt MONTFAUCONIUS et LAMBECIUS. Verum cum omnia fabulam hic nobis narrari manifeste prodant, iis immorari nolumus. Conf. LAMPIUS in *Proleg. ad Evangelium S. Iohannis Libr. II. Cap. 2. §. 27. pag. 171.*

11) Ita ROLOFFIUS sentit superius a nobis citatus.

12) Haec mens Doct. Dno STOSCHIO sedet in *Comment. de epistolis Apostolorum idiographis §. 33. pag. 123.*



esse, quorum posterior Romanos salutat manu aliena, scilicet Tertii scribae v. 20, mox vero ad majorem fidem auctoritatemque epistolae conciliandam v. 24, signum epistolarum suarum *διαγραφικόν*, salutationis formulam, propria manu adjicit, et pio voto v. 25, 26. 27, concludit 13).

3. Nec id omittendum nobis erit, nullam prorsus reperiri rationem, cur, si Paulus propria manu scripsit, haec verba addita inveniamus: *qui hancce scripsi epistolam*. Quid enim opus erat isto additamento? an quaeſo! id Romani in fine demum edocendi erant, quod jam ex inscriptione epistolae dudum didicerant? ubi Paulus ceu epistolae autorem semet expresse nominat; aut forsitan otiosam repetitionem unius ejusdemque rei, in viro *θεοπνεύσῳ* adeo facile ferendam esse censebimus?

Posterius igitur affirmandum erit: Tertium esse a Paulo diversum, diversaque nomina etiam personas diversas hoc loco significare, Paulumque adeo Tertio epistolam in calamus vel dictasse, vel litteras a se propria manu consignatas Tertii calamo describendas curasse, de quo infra sect. V. §. 1. nonnihil dicemus.

§. 2.

Quo certiora haec sunt, eo majori cura Doct. Dno STOSCHIO opus erat incerta reddere hic omnia. Quam vero irrito successu id factum sit, statim videbimus. Id igitur agendum nobis erit, ut ejus cogitata omni accuratione in summam contrahamus, distincte & solide ad ea responsuri. Urget Doct. Dnus STOSCHIVS, praeter omnem consuetudinem, scribendique apud politas nationes morem, Amanuensem epistolae, Pauli nomine scriptae, suo nomine salutem ecclesiae dictam inseruisse, credi debere. Nul- lum haecenus ejus rei exemplum adlatum fuisse 14). Confusa &

B 2

per-

13) Conf. Cel. D. HEUMANNUS in Biblioth. Brem. Class. 4. pag. 294, nec non in der Erklärung des N. T. Tom. VII. pag. 668, quem tamen in eo videmus a nobis discedere, quod v. 24. ad huc scriptorem Tertii inveniat, contra 2 Theſſal. III. 17. In eadem vero nobiscum versatur sententia b. RAMBACHII in introd. in epistol. Pauli ad Roman. §. 3. pag. 15.

14) de epistolis Apostol. idiographis pag. 113.



perplexa esse omnia, si Tertium Amanuensem fuisse statuamus. Mox enim Paulum v. 21, mox Amanuensem v. 22, tum iterum Paulum v. 23. loqui credendum esse, & utrumque quidem in prima persona, ita ut Romani distinguere omnino non potuerint, utrum sequentia a Paulo, an vero ab Amanuensi, profecta sint 15). Amanuensem non in prima persona ἐγὼ ἀσπάζομαι, sed potius in tertia ἀσπάζεταιται loqui debuisse 16). Tertium a Paulo nullo plane modo distingui, cum uterque in prima persona de se loquatur v. 21. 22. 23. & nec nominum diversitas, nec additum ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν contrarium hic suadeant 17), quin potius reliqua omnia, quae antecedunt & sequuntur in Paulum, sub Tertii nomine scribentem, optime conveniant. Tandem eundem, quem in aliis epistolis a Paulo consignatis, reperire licet, etiam hic inveniri conclusionum ordinem, eandem rationem, nec ullum apparere discrimen, si praesens locus Rom. XVI. 22, cum aliis e. gr. Coloss. IV. 14. 18, 2 Thess. III. 17, & imprimis 1 Cor. XVI. 19. 23. conferatur, nisi quod ibi Pauli nomen legatur, pro quo hic Tertii positum sit; et quod hic per verba: ἐγὼ ἀσπάζομαι ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν exprimitur, ibi synonyma plane phrasi ὁ ἀσπασμὸς τῆ ἐμῆ χειρὶ dictum sit 18.)

§. 3.

Ingéniose haec excogitata esse concedimus, solida vero, et quae pariant aut convictionem aut probabilitatem saltem, simul esse ista omnia, prorsus negamus. Sanctos Dei viros morem apud politas nationes in scribendo receptum imitari debuisse, Paulumque in consignandis suis epistolis Ciceronem et Plinium ducem sequi aut voluisse aut debuisse, nos certe adserere haud audemus. Erant φερόμενοι ἀπὸ πνεύματος ἁγίου 2 Petr. I. 19, nec Paulus sibi soli erat relictus, Tertioque proinde ea saltem tradere et poterat et debebat, quaecunque a Spiritu S. ipsi suggerebantur; Tertius vero accurate omnia reprae-

15) l. c. pag. 114.

16) l. c. pag. 116.

17) l. c. pag. 117.

18) l. c. pag. 118. 119.



repraesentare, quaecunque ex ore Pauli ipsi communicabantur. Quod si nunc Spiritus S. καρδιογνώστης desiderium Tertii salutandi Romanos, cum quibus in unitate fidei persistebat, perspicuens, Tertii salutationem Paulo suggererat, haec etiam scribi debebat, sive mori apud politas nationes id responderet, sive minus, quippe qui Spiritus S. norma et regula haud esse potest. Nulla hic igitur insolita et inopportuna urbanitas Tertii. Nullum haecenus ejus rei exemplum aliud, neque in epistolis Paulinis, neque in autoribus profanis, de salutatione Amanuensis ipsi epistolae inserta, reperiri potuisse, concedimus STOSCHIO. An vero quod sibi non habet simile statim falsum et rejiciendum erit? Quis unquam in dijudicandis historiis hanc regulam secutus est? Nonne quamplurima in Scriptura S. imo in autoribus profanis occurrunt, quae aliis similibusque exemplis aut illustrari aut comparari nequeunt? nec enim historia ea saltem tradit, quae consueta sunt et quotidie obuia, sed etiam ea, quae sunt insolita et inaudita. Confusa et perplexa esse omnia, si Tertius Amanuensis hic adsumatur, plane non videmus. Concedimus v. 21. loqui Paulum, mox v. 22. Amanuensem, mox iterum Paulum v. 23, ita tamen, ut facile appareat, eum qui v. 22. loquitur, a loquente v. 21. et 23. esse diversum. Romanis enim v. 21. salus denunciatur a Timotheo, qui vocatur ὁ συνεργός μου, quod unice in Paulum quadrat, quippe qui Timotheum habebat cooperarium. V. 22. dicitur: Ego Tertius vos saluto, qui hanc epistolam scripsi, in Domino. Nomen Tertii hic loquentem alium sistit, quam qui v. 21. sermonem fecerat, per additum illud: γράψας τὴν ἐπιστολὴν nova ratione a Paulo distinctum, ceu §. 1. hujus sect. comprobavimus. V. 23. tandem cum v. 22. accurate convenit, adeoque ad Paulum non ad Terrium referendus est. Quae igitur confusio a Romanis metuenda fuerit, plane non perspicimus, praesertim cum uterque, Paulus et Tertius. Romanis essent cogniti, quod ex salutatione apparet; hinc facile sub illis circumstantiis, quibus loquentes inducuntur, distinguendi, maxime cum praeterea accederet manus Tertii, qui epistolam in reliquis omnibus scripserat, et manus Pauli propria, qui quatuor versiculos ultimos adjecerat. Amanuensem in tertia potius quam in prima persona loqui debuisse,



gratis assumitur. Vndenam enim hoc probabitur? nec cum reliquis Viri Doctissimi assertis id conciliari potest, qui id maxime urget, nullum hujus rei simile occurrere exemplum. Nos interim Amanuensem hic loqui non ex formula salutationis, sive in prima sive in tertia persona expressa, sed ex eo colligimus, quod hic memoretur Tertius, qui hanc scripserit epistolam, quod in Paulum non quadrat, quippe qui Tertii nomen nunquam gessit, et praeterea in inscriptione epistolae, se ejus autorem esse, jamjam significaverat. Ex quibus omnibus simul luculenter apparet, quam parum apte procedant reliqua. Tertium a Paulo nullo plane modo distingui, falsum est. Nec nominum diversitatem, nec additum *ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν*, contrarium hic suadere, nemini facile in mentem venire potest, nisi qui hypothesei suae semel assumtae *διδέουεν* velit: Tertium eundem esse ac Paulum. Ea, quae v. 21. antecedunt, et quae v. 23. sequuntur, Paulo convenire nemo negat, ex eo autem, quia v. 21. et 23. Paulum nobis sistunt, concludere velle, etiam v. 22. de eodem agi, vitium in concludendo argueret vix condonandum. Eundem ordinem in salutando in epistolae ad Romanos sine obviare, qualis in reliquis epistolis conspicitur, ex una parte quidem certum est, id vero simul ex altera parte stat firmum et inconcussum, adesse hic insimul ingens discrimen, eo quod Tertius et Paulus commemorentur, quae nomina unam eandemque indigitare personam, nunquam probari potest. Quantum vero ad locum 1 Cor XVI. 19. 23, attinet, eam, quam Doctiss. Dnus STOSCHIVS cum Rom. XVI. 22, deprehendere sibi visus est, convenientiam, nemo facile inveniet, qui, vel mediocri saltem attentione instructus, comparationem utriusque loci instituere velit, cum epistola Tertii manuscripta, et epistola propria Pauli manu subsignata, signoque *δικημικῶ* munita, maxime differant, nisi pro certo adsumere velimus, quod tamen est in quaestione: Tertium et Paulum unam eandemque esse personam.

§. 4.

Aliud argumentum, quod non minori cum certitudine nostram confirmat sententiam, ex Gal. VI. 11, desumimus: *ἴδετε* inquit



inquit Apostolus *πηλίκαις ὑμῖν γράμμασιν ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρὶ. videte, quam multis literis vobis scripsi manu mea.* Nos per *πηλίκαις γράμματα* cum HEINSIO, ZORNIO, nonnullisque aliis, non intelligimus literas majusculas, quibus hanc epistolam scripserit Paulus, quippe quod absurditate haud vacaret, quam luculenter imprimis demonstravit S. Vener. Dn. HOFMANNVS 19), quem exscribere nolumus, sed potius prolixitatem & copiam epistolae, quae, si epistolas ad Romanos, Corinthios et Hebraeos excipiamus, reliquas a Paulo scriptas vincit. Nec cum GROTIUS et HAMMONDO, qui HIERONYMVM secuti sunt, vocem *ἔγραψα* ad sequentia saltem trahimus, quae Paulus propria manu adscripserit, sed ad integram epistolam: cum sequentia, numero quippe exigua, minus recte *πηλίκαις γράμματα* vocitari queant, et praeterea vox *ἔγραψα* ad ea, quae jam scripta erant, non vero ad ea, quae Paulus tanquam adhuc scribenda mente conceperat, possit referri 20). His omnibus rite suppositis, facile perspicere credimus quemlibet praepredicium vacuum, Paulum Galatis hoc loco aliquid sistere, quod eorum attentione et admiratione dignum sit, *Ἰδετε* inquit *videte, animadvertite, ne parvi hoc putate, admiramini.* Ubivis autem et quotidie obvia attentionem et admirationem provocare haud possunt, sed insolita et rariora. Rarioris igitur et insoliti quid Paulum Galatis hoc loco proponere, adeo certum est, quam quod certissimum. Id autem animadvertere et probe pensitare debebant Galatae, quod Paulus ipsis tam prolixè scripserit propria sua manu. Ergo Paulus non semper propria manu, imprimis tam prolixè, scribere solitus fuit. Scripsit igitur per alios, seu quod idem est: Amanuensium ope usus est.

§. 5.

Nec hoc argumentum sine censura dimittere placuit Doctiss. Dno. STOSCHIO 21). Nullum hic pondus, nullum isti argumento

19) in *introduc.* in lectionem epistolae S. Pauli ad Galatas et Colossenses pag. 90.

20) HOFMANNVS I, c. pag. 89. Addatur b. WOLFIUS in *Cursus Phil. et Criticis in N. T. Tom. II, pag. 781.*

21) l. c. §. XI. pag. 47. 48.



gumento nervum inesse asserit, ingenue potius fatendum sibi esse pronuntiat, se adeo lynceum non esse, ut Apostolum verbis Gal. V. 11, docere, se plures epistolas scribere alia manu, in iisdem videre queat. Verum enim vero, utrum lynceum oporteat esse eum, qui id perspicere velit, utrum vero sanus oculus, vel mediocri videndi potentia instructus, hic sufficiat, dummodo debita accedat attentio, et quod in primis requiritur, amor veritatis, iudicet B. L. ipse. Cur igitur a Cel. HEVMANNO, ad hocce dictum recte provocante, discedat, nulla ipsi subest ratio, nisi intempestivus erga hypothesin semel mente conceptam amor. In illud igitur vitium lapsus merito censetur, cuius sine omni ratione Dnum MICHAELIS, Göttingensis Academiae Professore celeberrimum, qui nihil ejus meruerat, accusat, quod paraphrasi suae: *Sehet, wie weitläufftig ich euch wieder meine Gewohnheit, mit eigener Hand geschrieben habe, damit mein Brief desto glaubwürdiger seyn möge, nonnulla ex sola hypothesi adfuerit, verba scilicet: wieder meine Gewohnheit, et damit mein Brief desto glaubwürdiger seyn möge.* Eadem quoque censura Vener. Dn. STARCKIO cuius paraphrasis ab ea, quam celeb. Dnus. MICHAELIS habet, non abludit, sine omni ratione est molestus,

§. 6.

Tertium argumentum, non minori evidentia conspicuum, 2 Thess. III. 17. 18. invenimus, ubi Paulus signum aliquod diacriticum suarum epistolarum ponit, per quod genuinae a spuris supposititiisque dignosci possint, scilicet salutationem: *Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscum omnibus. Amen.* Supponimus: signum illud *διακριτικόν* hic commemoratum, non in salutandi modo et formula quaerendum esse, quippe quod absumditate haud caret. Nonne enim quilibet falsarius, Paulo epistolas suppositurus, haec verba scribere, adeoque nugis suis auctoritatem conciliare potuisset? Maxime igitur fallax criterium Apostolus Thessalonicensibus aliisque Ecclesiis suppeditasset, suoque adeo fini medium valde inopportunum minusque congruum subordinasset, quod sapientiae Viri *ἑορνεύουσιν* repugnat. Accedit, quod hoc pacto Apocalypsis Iohan-



Johannea Paulo tanquam auctori tribuenda veniat, cum hic manifeste satis verba, quae alias signum epistolarum Paulinarum constituunt, in fine occurrant, Apoc. XXII, 21. Nihil igitur superesse putamus, nisi ut signum illud distinctivum in modo descriptionis ductuque literarum, qualem Paulus alias formare consueverat, quaerendum esse censeamus, verbaque adeo *Ἐὼ γράφω* hunc fundere credamus sensum: haec est mea manus, hi sunt literarum ductus, quibus utor; quamvis pollicem haud premamus b. ZELTNERO 22), qui siglum aliquod aut monogramma hic quaerit, in conjunctis scilicet apte literis Π et Λ, posteriori hoc elemento paulo altius evecto, ut Λ simul referret, quippe cujus nullum plane in verbis Pauli occurrit indicium, quodve nudis innititur conjecturis. Quibus omnibus praestructis facile nunc commonstrandum erit, quanta vis hisce verbis pro stabilienda nostra sententia insit, quam tamen malumus b. ERASM. SCHMIDII, quam nostris exprimere verbis: „Quod si verum esset, Paulum omnes suas epistolas sua manu scripsisse, qui fieri potuerit, nescio, ut Thessalonicenses hanc epistolam non cognoverint, et veriti potius sint, ne per alienam et falsam epistolam falsi Apostoli astutia sibi illuderetur. Cui bono Paulus quaeso! rogavit, ut vigilarent, ne quis Pseudapostolus ipsos spuriae epistolae fraude circumveniret. Adhortatio Apostoli fuisset inanis et supervacanea. Si enim Apostolus ipse omnes exarasset epistolas, ex manu ipsius, ductu et pictura literarum epistolam genuinam esse Thessalonicenses cognovissent, siquidem manus Pauli ipsis non poterat esse incognita. Erant igitur salutationes hae et vota Pauli manu scripta, characteres, quibus Paulinae epistolae a non-Paulinis discernebantur. Boni enim viri est providere, ne quis sub ipsius nomine cuidam imponat.“

§. 7.

Non desunt Doct. STOSCHIO, quae et hic opponere tenet 23). Vellemus tamen a duro illo iudicio semet temperasset,

C

parum

22) in disp. de *Monogrammate Pauli Aitorf* 1721, cujus summam recenset, juncta statim epistoli, b. WOLFIVS l. c. pag. 402 seqq.

23) l. c. §. XIII. pag. 52, 53.



parum acute cernere illos, qui in dicto Paulino, §. antecedente al-
lato, ista omnia se perspicere credant. Nos potius STOSCHIO-
VM isto dicto argumentisque, quae continet, ad summas redactum
fuisse angustias, ex inanibus levissimisque, quas in medium profert,
exceptiunculis, sumus persuasissimi. Sic enim i dubium ipsi ad-
huc videtur, utrum inter locum 2 Theff. II. 2. locumve cap. III. 17.
ea intercedat relatio, ut alter ex altero illustrandus sit, Paulusve adeo
illis seducendi modis, quae cap. II. 2. commemorantur, signo illo
Epistolarum suarum *διακριτικῶν*, quod cap. III. 17. in medium pro-
fert, praecavere voluerit. Ratio vero cur STOSCHIO dubium
istud enascatur, haec est, quia in priori illo loco plures seducendi
modi ab Apostolo ponuntur, *διὰ πνεύματος*, i. e. per revelationes
fictas, *διὰ λόγους*, i. e. per praedicationem Pauli, *δι' ἐπιστολῆς*, i. e. per
litteras Pauli supposititias, cum tamen in posteriori uni eorum saltem,
scilicet literis supposititiis, ea obviam. Sed quis non videt, unica
hac ratione, dummodo praecaveret, ne literis supposititiis fallerentur
Thessalonicenses, reliqua omnia, quae revelationibus sermonibus-
que fictitiis opponere volebar, Apostolum obtinuisse. Quod si enim
certum et infalibile signum epistolarum Pauli habebant Thessalo-
nicenses, de mente Viri *θεοπνεύστου*, cujus verba Divinae erant re-
velationes, de iudicio extremo non adeo propinquo certissimi esse
poterant. Cum vero una revelatio vera alteri contradicere non
possit, nec Paulus quoque oretenus in sermonibus suis aliquid affir-
mare, et tamen scriptoretenus in epistolis iterum negare poterat.
Unica proinde epistola Pauli hac de materia sigillo authenticas mu-
nita, contra revelationes fictas omnis generis, (*διὰ πνεύματος*)
contra jactitatos ab impostoribus sermones Pauli, (*διὰ λόγους, ὡς δι'
ἡμῶν*) contraque epistolas supposititias, (*δι' ἐπιστολῆς ὡς δι' ἡμῶν*)
prorsus sufficere poterat, Paulusque contra sapientiae leges egisset,
si pluribus modis Pseudapostolis obviam ire voluisset. Hinc intimus
nexus inter utrumque locum adest, parumque acute cernit, qui illum
perspicere nequit. Quae num. 2. a Doctiss. Dno STOSCHIO
urgentur: signum *διακριτικόν* non in salutationis scriptura aut scri-
bendi modo, sed in ipsa salutatione quaerendum esse, §. antecedente,
quantum



quantum satis est, jamjam discussimus. Nec ad rem faciunt, quae-
 cunque num. 3. a Doctiss. Dno STOSCHIO in medium profe-
 runtur: nec Timotheum nec Sylvanum scribas hujus Epistolae
 fuisse, cum Paulus ab utroque diserte se scribentem distinguat i Theff.
 II. 18, III. 1. 2. 4. 5. 6, 2 Theff. II. 5. Hinc Paulum propria manu
 scripsisse, nec additi illius ab Apostolo moniti rationem esse posse,
 ut haec sola ultima verba sua manu adjici declararet, Quid enim,
 si STOSCHIO concederemus, nec Timotheum nec Sylvanum
 scribas hujus epistolae fuisse, de quo infra sect. V. nonnulla dice-
 mus. Certe! potuit alius Epistolam ex ore dictantis Pauli excipere.
 Nec sequitur: nec Timotheus nec Sylvanus fuerunt scribae. Ergo
 Paulus manu propria scripsit. Nec tandem Doctiss. Dn. STO-
 SCHIUS probavit, aut probare potest: Paulum se scribentem a
 Timotheo et Sylvano locis allegatis distinguere. Duo sunt maxime
 diversa: Paulus a Timotheo et Sylvano se distinguit, et: Paulus se
 scribentem a Timotheo et Sylvano distinguit. Prius equidem in lo-
 cis allegatis, si recte pensitentur, invenitur, posterius vero nulla
 ratione.

§. 8.

Quartum denique argumentum nobis suppeditant omnia loca,
 in quibus Paulus expresse testatur: se scribere sua manu, manu Pauli.
 Quod quidem Paulus non semper, sed quandoque facit, scriptio-
 nemque suam non semper ad omnia, ut Gal. VI. 11. et Philem. v. 19. 21,
 sed ad partem saltem epistolae, videlicet ad salutationem a se addi-
 tam restringit, 1 Cor. XVI. 21, Col. IV. 18. Ex quibus, nisi nos
 omnia fallunt, argumentari licet: Quod si Paulus non semper pro-
 pria manu scripsit, aliquando id etiam aliena manu praestitit. Si par-
 tem epistolae saltem sua manu consignavit, certe non integram epi-
 lam. Hinc Amanuensium opera usus est. Hic tamen cum Doctiss.
 Dn. STOSCHIO denuo nobis decertandum venit, quippe qui
 ex omnibus locis a nobis allegatis, contrarium potius colligendum
 esse putat 24). Scriptores enim S. (ira ratiocinatur) inprimis Pau-
 lum, toties affirmare se scribere. Paulum vero, optimum verborum

C 2

luorum

24) I. c. §. X. XI. XII. pag. 41. seqq.



suorum interpretem, id, quod alias per $\tau\omicron$ scribere simpliciter et sine addito exprimere consueverat, aliis locis per $\tau\omicron$ scribere sua manu, manu Pauli, significare. Posterius igitur explicare prius, hinc semper scriptionem propria manu factam indicari, Amanuensiumque nec volam nec vestigium offendi. Eo majori luce haec omnia radiare putat, quo frequentius scriptores $\tau\omicron$ in V. T. de se testentur, semet scripsisse. Quemadmodum vero nemo facile ex illorum verbis concluderet: aliena manu id factum esse, sed potius propria, nec ad regulam illam delaberetur: quod quis per alium facit, id ipse fecisse censetur, ita nec ex Pauli testimonio aliud quid colligendum esse. Haecenus Doctiss. Dni STOSCHII effugia recensuimus. Ne vero Vir Doct. contra omnem loquendi usum, partim Biblicum, partim communem, graviter hic impingat, maxime veremur. Stilo enim Biblico $\tau\omicron$ scribere simpliciter et $\tau\omicron$ scribere manu propria non sunt unum et idem, sed ut genus potius et species inter se differunt. Omnium manifestissimus est locus Jerem. XXXVI. 2. coll. 4. quem supra sect. I. §. I. ex instituto notavimus. Quicumque igitur ita argumentaretur: Paulus se scripsisse fatetur. Ergo manu propria scripsit, is a genere ad speciem, hinc male concludere, censendus foret. In omnibus praeterea gentibus et linguis has loquendi formulas, scribere, et scribere manu propria, receptas esse novimus. An quaeso! duo illi loquendi modi prorsus coincidunt? An adjectio illa: manu propria, otiosa est? Iudicium hujus rei, cuilibet, qui rationes rerum recte subducere novit, relinquemus. Omnia hic igitur contra Doct. STOSCHIVM pugnare videmus. Quantum ad scriptores V. T. attinet, ex exemplo Ieremiae, ejus, quod Vir Doctiss. urget, contrarium luculenter comprobari potest, prout jam diximus. Quando reliquos vero sine Amanuensium opera scripsisse perhibemus, ad id nec ob mandatum Divinum: scribe, nec ob testimonium semet scripsisse, inducimur, (quippe quod, ceu antecedentia evincunt, omni careret fundamento,) sed quia nullae nobis praesto sunt rationes, cur ad Amanuentes confugiamus. Sine ratione autem aliquid statuere velle absurditate non careret. Longe vero aliter, si de Paulo sermo instituat, hic comparata esse, omnia, in antecedentibus nos comprobasse certo sumus persuasi.

SE-

) 21 (

SECTION III.

ARGUMENTA ADVERSAE PARTIS
MODESTE EXAMINANS.

§. 1.

Hactenus sententiam nostram recensuimus, comprobavimus, vindicavimus. Verum nunc etiam altera pars audienda est, eisque argumenta, quibus contrarium evincere omni modo conatur, excutienda veniunt. Sunt ea triplicis generis. Nonnulla enim ex eo deducuntur principio: *θεοπνευστικῶν* epistolarum Apostolicarum manifesto exponi periculo, variaque admitti debere confectaria, quae partim cum officio Apostolorum, cui Divinitus destinati erant, partim cum scriptionis momento, Apostolorum ingenio et conditione, epistolarumque scopo, contradictionem involvunt, si Amanuenses Apostolorum statuatur. Nonnulla autem ex ipsis epistolis Apostolorum, maxime Pauli, desumuntur, quippe in quibus istiusmodi offendantur circumstantiae, quae nostram destruunt sententiam. Nonnulla denique ex testimoniis Patrum arcessuntur. Nos argumentis, quibus periculum Divinae inspirationi S. literarum ex nostra sententia oriundum confirmari debet, peculiari tractationi reservatis, quam sectione ultima exhibebimus, reliqua in praesenti saltem examinabimus, quae ab Apostolorum officio, scriptionis momento, Apostolorum ingenio et conditione, epistolarumque scopo, nec non ex epistolis Pauli ipsis, Patrumque testimoniis, desumpta sunt.

§. 2.

Id igitur ante omnia urget Doctiss. Dnus **STOSCHIVS**, officium Apostolis a Christo demandatum id maxime requisivisse, ut quemadmodum obeuntes per totum terrarum orbem ore suo praedicarent ipsi, ita etiam ipsis suis manibus ad ecclesias scriberent, coelestesque veritates chartis committerent, id enim velle τὸ διδάσκειν
Aposto-



Apostolis a Domino injunctum Matth. XXVIII. 19. 20, et hoc posterius quidem eo magis admittendum esse, quo majoris momenti, fatentibus Theologis, scriptio fuerit, quam quidem praedicatio 25). Verum unius positionem non esse alterius exclusionem in vulgus notum est. Praedicasse Apostolos ore proprio equidem certum est, non tamen semper id factum esse, sed in praedicando Evangelio aliorum quoque ministerio usos fuisse, quos in hunc finem ablegarint, Evangelistarum nomine appellatos, aequae dubio caret. Sic etiam scripserunt Apostoli manu propria, sed non semper, verum ferente et postulante id occasione, circumstantiarumque necessitate, aliena manu et per Amanuenses. Horum igitur in scribendo ministerium aequae minus mandato Christi officioque Apostolorum praedicit, ac quidem Evangelistarum in praedicando opera. Praevидit hanc responsionem Doct. Dn. STOSCHIVS, et sane eam ita comparatam deprehendimus, ut non possit non sine facili negotio cujuslibet subire mentem, qui vel mediocri attentione omnia consideraverit. Hinc denuo effugia quaerit. Fallaciae divisionis accusat omnes, qui ita sint responsuri. Non enim quaeri: Vtrum Apostoli, ab aliis Doctoribus ad suum exemplum et scribi et praedicari voluerint? sed cardinem quaestionis hunc esse: annon, cum se scribere significant, ipsi scripserint? Verum enim vero accusare si licet, quis innocens erit? Fallaciam divisionis hic a nobis commissam esse facilius dicitur quam probatur. Si vero dicendum quod res est, rectius Doctiff. Dn. STOSCHIVM accusare hic licet, quod ad angustias semet redactum sentiens, statum controversiae mutet, eoque ipso elabendi rimam quaerat. Non enim nunc quaeritur: annon Apostoli, quum se scribere significant, ipsi scripserint, propriaque manu ad scribendum, ut propria lingua ad praedicandum fuerint usi? sed potius in eo cardo quaestionis vertitur: utrum mandatum Christi de docendis omnibus gentibus, id necessario involvat, ut Apostoli, quemadmodum in propria semper persona loqui, ita etiam propria manu semper scribere debuerint, quod quidem jure negandum est, cum historia Sacra Evangelistarum ministerii-

25) l. c. §. VI. VII. pag. 30. seqq., nec non in Ἀποστολικῶ ἱστορίᾳ pag. 41. seqq.



nisterium, ab Apostolis adhibitum, manifeste commemoret. Quod si igitur Doctiss. Dni STOSCHII argumentum in forma Syllogistica nobis repraesentemus, tale erit: Quemadmodum Apostoli Evangelium praedicarunt, ita etiam illud scripserunt. Ratio: quia verbum Dei praedicatum et scriptum in S. literis pari semper passu ambulat, et utrumque verbi Prophetici nomine cohonestatur, 2 Petr. I. 19. 20. Hinc a verbo praedicato ad verbum scriptum utique valet consequentia. A. Praedicarunt semper et ubique in propria persona. Ergo. Sic autem minor est aperte falsa. Tacemus circa majorem adhuc multa obverti posse, cum verbum scriptum et praedicatum non ob circumstantias externas, sub quibus propositum fuit, aequiparantur, sed eam potius ob causam, quia utrumque est ex inspiratione Divina, ut allegata verba Petri aperte testantur. Quod si vero, supposito in majore omnia recte se habere, argumentum circa quod versamur ex rei veritate formetur, sequentis erit tenoris: Quemadmodum Apostoli praedicarunt Evangelium, ita etiam illud scripserunt. A. praedicarunt vel in propria persona, vel adhibito aliorum ministerio. Ergo. Sic vero nostram potius, quam STOSCHII, causam egregie juvat. Reliqua igitur, quae Vir Doctiss. de descriptione majoris momenti in medium profert, sponte cadunt. Quae vero de Amanuensium in scribendo opera in *Ἐοπνευσία* injuria hic immiscentur, vel huic effugio tandem innituntur, infra sect. ultima ex instituto trutinabimus.

§. 3.

Novum sententiae suae praesidium Doctiss. Dn. STOSCHIIVS in hoc argumento quaerit: Si Apostoli per Amanuenses scripserunt, sequitur: aut eos non potuisse aut noluisse propria scribere manu. Posterius qua utrumque membrum est falsum. Ergo etiam antecedens 26). Quod autem Apostoli non potuerint scribere ipsi, nemo, inquit, facile dixerit. Intellexerunt enim Graeca; id quod, ob donum linguarum non temporarium, sed perpetuum Viro Doctiss. facile concedimus. Porro inquit: prospera valetudine usi sunt, saltem
 26) l. c. §. VIII. pag. 35. seqq., nec non in *Ἀποστολικῶ ἰδίῳ* pag. 27. seqq.



saltem nunquam legimus Apostolos morbo correptos fuisse. Aequae tamen facile haec negantur, quam quidem a Viro Doct. affirmantur. Legimus permulta, ex quibus contrarium elucet, vulnera, vibices, flagellationes etc. 2 Cor. XI. 23, seqq. Cap. IV. 8. 9. 10. 11. 12. 16. Pauli manus quidem catena vincta fuit (ita pergit) in carceribus, interim tamen ex carcere propria manu scripsit ad Timotheum Epistolam posteriorem, et ad Philemonem. Potuitne vero captivitas alio tempore fuisse liberior, alio durior? Noluisse Apostolos scribere ipsos multo minus probabile putat, quia segnitiam et pigritiam id testatum fecisset. Ipsorum personis potius magis conveniens fuisse, ut mille, si fuissent, causas frequenter scribendo vicissent etc. Quid vero? si istiusmodi difficultatibus circumseptos semet senserunt, quae insuperabiles fuerunt, Deo ita volente et dirigente, v. gr. morbi, carcer, duriorque in eo custodia etc. Quod si igitur caput rei tangamus, argumentum STOSCHII inflectendum potius erit: Apostoli non potuerunt nonnunquam scribere propria manu; hinc etiam nec voluerunt, cum nemo sapiens id velit, quod tamen obtinere non potest. Hinc Amanuensium operam adhibere debuerunt.

§. 4.

Id praeterea maxime urget Doctiss. Adversarius, quod Apostoli semper asserant: se scribere, scribere se sua manu, se Paulum scribere, et quae sunt ejusmodi. Quem in finem omnia loca conquirat, in quibus istiusmodi locutiones obviant, ex epistolis, ad Romanos, Corinthios, Galatas, Philippenses, ad Timotheum et Philemonem, porro ex epistolis Petri, Iohannis et Iudae, quas quidem cum effatis autorum profanorum confert, in quibus se scribere sua manu, manu propria etc. testantur. Ex quibus omnibus id elicere studet: Apostolos haec omnia dicere haud potuisse, si scribarum opera fuissent usi. Ad notissimam autem regulam dilabi velle: quod quis per alium facit, id ipse fecisse censetur, hoc loco haud licere. Istam enim regulam in hermeneutica, ubi praegnans non urget necessitas, admitti non debere, et praeterea Paulum optimum verborum suorum interpretem, τὸ γράφειν, quod de se praedicat, ita exponere, ut dubium nullum superesse queat, quin ipse id fecerit,



fecerit, ceu ex Gal I, 20. coll. Cap. VI. 11. et ex Phil. V. 19. clarum esse putat. Haec summa est eorum, quae diffusiori opera a Viro Doctiff. traduntur 27). Nobis hac in parte licebit esse brevioribus, maxime cum sect. II. §. 7. hisce argumentis jamjam, si qui adsunt, incidimus nervos. Omnia, quae dicenda hic nobis supersunt, eo redeunt:

1. Nos non adserimus: Paulum omnes suas epistolas Amanuensium opera consignasse, sed nonnullas saltem, scilicet epistolas ad Romanos, priorem ad Corinthios, ad Philippenfes, ad Colossenses, utramque ad Thessalonicenses, et ad Hebraeos; reliquas vero propria manu scripsit, ceu sect. statim sequente comprobabimus. Hinc loca, quae ex posteriori epistola ad Corinthios, ad Galatas, ad Timotheum et Philemonem, contra nos urgentur, nos plane non feriunt. Quae vero ex epistolis Iohannis et Iudae producuntur, plane nil faciunt ad rem, cum hos omnes propria manu scripsisse non negemus. De Petro vero peculiari sectione agemus.

2. In iis locis, ubi Paulus se propria sua manu scribere testatur, verba illa: manu mea, manu Pauli, si unicum locum Gal. VI. 11, excipiamus, non ad integram Epistolam, sed ad partem ejus saltem, salutationem scilicet, Pauli manu adjectam, restringuntur, vid. 1 Cor. XVI. 21, Col. IV. 18, 2 Thess. III. 17. Id equidem Doct. Dnus STOSCHIVS negat, qui ex locis allegatis id elici posse credit, verba illa non ad solam salutationem, sed ad integram epistolam esse trahenda. Contrarium vero, dummodo recte inspiciantur, est manifestum, meditationesque Viri Doct. ita comparatae sunt, ut neminem facile ad assensum trahere queant. Et si imprimis verba 2 Thess. III. 17. collatis cap. II. 2, iisque, quae superius sect. II. §. 5. ad ea annotavimus, sine praejudiciis pensitentur, omnes statim dispereunt nebulae, quae a Doct. Dno STOSCHIO nobis obmoventur.

3. Quantum vero ad ipsam illam phrasin Apostolo familiarum *γράφω, ἔγραψα* attinet, si in se consideretur, nunquam vel

D

cum

27) l. c. §. X. XI. XII. pag. 41. seqq. nec non in Ἀποστολικῆ ἰδιῶ pag 32. seqq.



eum certitudine vel cum probabilitate aliqua nos eo deducet, ut credamus, Paulum propria scripsisse manu. Generalem enim saltem habet significatum, duosque speciales involvit; scribere possumus vel propria, vel aliena manu, ceu usus loquendi biblicus et vulgaris testatur, vid. quae sect. II. §. 7. a nobis dicta sunt. Argumenta igitur ipsis epistolis Apostolorum insita determinare debent, quoniam ex utroque significato speciali sit actualis. Quod si STOSCHII argumentum valeret, Ieremiam propria manu scripsisse ex Jer. XXXVI, 2. colligendum foret, cujus tamen contrarium ex v, 4. luculenter constat. Loca autorum profanorum, quae a Doct. STOSCHIO afferuntur, idem probant, nostramque sententiam confirmant.

4. Concedimus regulam: Quod quis per alium facit id ipse fecisse putandus est, non adeo temere ubivis applicandam esse. — Fieri tamen id debere, ubi urgens adest necessitas, certum est. Talem autem hic inveniri partim sect. II. generatim jam probavimus, partim in sequentibus adhuc ulterius specialius evincemus.

§. 5.

Aliud argumentum ex scopo epistolarum necit Doct. Dnus STOSCHIVS, qui fuit vel universalis, vel particularis. Hic ad Ecclesias spectat, ad quas epistolae dirigebantur, ut in agnita fide confirmarentur, in adversis erigerentur, officii sui monerentur, iisque ut pro cujusvis statu opus erat, auctoritate Apostolica *εὐαγγελικὰς* regiminisque leges praescriberentur. Universalis est, ut Ecclesiae universali norma credendorum et agendorum communicaretur. Ad utrumque hunc finem obtinendum scriptio *ἰδιογραφεῖς* praescriptione per Amanuensem praestabat, cum major autoritas epistolis Apostolicis exinde accederet, si propriam eorum manum viderent ac agnoscerent Ecclesiae. Ecclesia vero omnium temporum eo firmiter credere poterat, hasce epistolas esse genuinas, si Canonis collectores, aut ipsa Apostolorum *ἰδιογραφεῖς* in Archivis reperta dignoscere, aut saltem exemplaria ex his fideliter descripta esse.



esse, scire potuerint 27). Verum enim vero, ut plurima, quae hic obverti possent, taceamus, id unicum monere volumus, omnia ista sufficienter obtineri potuisse, si, quod actu fecerunt, Apostoli nonnullos in fine versiculos, vel ut Paulus solitus erat, signum suum *διακριτικόν*, propria manu adscripserunt. Hoc enim ad dijudicandum, quae scriptio Apostolorum sit genuina, quae minus, et ad conciliandam ipsi auctoritatem, prorsus sufficiebat, quemadmodum mandata Principum propria eorum manu subsignata, publicoque sigillo munita, eandem prorsus habent auctoritatem, ac si tota essent *ἰδιόγραφα*. Sic etiam D. Paulus iudicavit, qui epistolas suas, aliena quidem manu scriptas, suo tamen signo *διακριτικῶ* firmatas, ad obtinendos fines superius a Doct. Dno STOSCHIO commemoratos, satis sufficere Thessalonicensibus significat, 2 Theff. III. 17 coll. cap. II. 2. Quapropter etiam in sapientissimo hocce D. Apostoli consilio acquiescendum, nec possibilitatibus et conjecturis indulgendum nobis esse credimus.

§. 6.

In eo porro maxime desudat Doct. Dn. STOSCHIVS, ut ex momentis et circumstantiis epistolarum Apostolicarum evincat, Amanuensium operam in consignandis iis prorsus exulasse 28). Provocat ad Iudam et Iohannem, qui scripserint ipsi. Concedimus. An vero a Iuda et Iohanne ad Paulum statim concludere licet? Potuerunt Paulo causae praesto fuisse, quae Amanuensium operam reddiderunt necessariam, quae autem a reliquis Apostolis abfuerunt. De Paulo vero id concludit ex eo, quia in itineribus membranas seu chartam Pergamenam secum duxerit 2, Tim. IV. 13. Vellemus tamen consequentiam probasset Vir Doctiss., quam nos quidem non perspicimus, et nobiscum certe omnes, qui rationes recte subducere didicerunt. Quid? si dicamus, Paulo in itinere etiam adfuisse Amanuenses, cum sacra historia ipsi toties adjungat in itinere comites. Paulum scribere dicit *τὰ αὐτὰ γράφειν ὑμῖν ἐγὼ οὐκ ὀκνησάν*
D 2 Phil.

27) l. c. §. IX. pag. 39. seqq.

28) l. c. §. XV. pag. 58. seqq.



Phil. III. 1. Ergo Pauli manus scribendo non lassatas fuisse, impigramque diligentiam in scribendo adhibuisse. Verum nemo facile id in verbis allegatis invenire poterit, nisi qui supponere velit, τὸ γράφειν semper denotare scribere propria manu, cujus contrarium in antecedentibus commonstravimus. Nec nostrae sententiae aliquid exinde accedit detrimentum, (prout Doctiss. STOSCHIVS credit,) quod Paulus epistolam ad Colossenses, quam a Laodicensibus legi volebat Col. IV. 16, per Amanuenses describendam haud curaverit, ejusque exemplum ad Laodicenses ipse miserit. Potuisset quidem Paulus id facere, si voluisset. Cur autem noluerit, adfuerunt ipsi rationes sufficientes, in circumstantiarum externarum, quibus Paulus constrictum semet sentiebat, necessitate, fundatae, quae tamen tacente historia sacra nos latent. Metaphora vero, quam Paulus 2 Cor. III. 1. 2. 3. habet de Corinthiis, quod sint epistola ipsius viva, scripta non atramento, sed Spiritu S., aequae est emphatica, sive epistolae Pauli sint ἰδιόγραφοι, sive per Amanuenses scriptae, cum epistolae utroque modo consignatae, stilo Biblico, sint epistolae Pauli.

§. 7.

Tandem ad Patrum Ecclesiae testimonia semet recipit Doctiss. Dn. STOSCHIVS, docturus nosmet, Apostolos propria semper, non aliena etiam quandoque manu scripsisse 29). Provocat ad IGNATIVM 30), TERTVLLIANVM 31), EVSEBIVM

29) l. c. §. XVI, usque ad §. XXIII, pag. 62. seqq.

30) in *Epist. ad Philadelph.*, §. VIII. „Audivi quosdam apud vos dicere: nisi invenero ἐν τοῖς ἀρχαῖοις (ut habet vulgata lectio) i. e. „in Archivis, vel (ut legit Codex Mediceus) ἐν τοῖς ἀρχαῖοις, „i. e. in vetustis exemplaribus, in Evangelio, scil. existare, non credam”.

31) de *praescript. haeticor.* Cap. 36. ex edit. RIGALTI pag. 245. „Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident, apud quas ipsae „authenticae eorum literae recitantur.” Et adversus Marcionem libr. IV. Cap.



VM 32), et PETRVM ALEXANDRINVM 33), quorum loca, in quantum ad rem facere a STOSCHIO creduntur, infra in notis exhibuimus, ut B. L. de tota hac lite eo felicius et facilius iudicare queat. Nos missis iis, quae circa IGNATII et TERTULLIANI effata disputantur, et ab aliis recensita leguntur 34), ea duntaxat tangemus, quae ad rem faciunt. Vbi quidem ingenue fatemur, nos, quae pro stabilienda, quam sibi sumit Doctiss. Dnus STOSCHIVS, sententia, exinde elicere studet, in illis locis haud invenire:

I. Certe si autoritatibus Patrum hac in parte standum esset, Patribus Patres opponere liceret. Ad sunt nobis PAPIAS, IRENAEVS et CLEMENS ALEXANDRINVS, Tertulliano antiquiores, ORIGENES ipsi coevus, CHRYSOSTOMVS, HIERONYMVS, nec non AMBROSIVS unius tantum seculi

D 3

inter.

IV. Cap. III. pag. 503: „Sed enim Marcion nactus epistolam, Pauli ad Galatas, etiam ipsos Apostolos sigillantis, ut non recto pede incidentes ad veritatem Evangelii, simul et accusantis, Pseudapostolos quosdam pervertentes Evangelium Christi, con- nititur ad destruendum statum eorum Evangeliorum, quae pro- prio, et sub Apostolorum nomine eduntur, vel etiam Apostoli corum, ut scilicet fidem, quam illis adimit, suo conferat.“

32) *Histor. Eccles. Libr. V. Cap. 28.* ubi de Artemonitis Scripturae S. corruptoribus ita scribit: „Neque enim negare possunt hoc factum a se admissum esse, cum ipsorum manu descripta sint exemplaria“ pag. 198. ex edit. VALESII.

33) in fragmento quodam de Paschate, quod DION. PETAVIVS suo *Vranologio s. doctrinae temporum* Tom. III. pag. 213. edit. *Antwerp.* 1703. primus inseruit: „Ipsum autographum (*ιδιοχειρον*), Evangelistae Iohannis, quod in sanctissima Ephesiorum Ecclesia, ad hodiernum usque diem Dei beneficio servatur.“

34) Scriptis S. Vener. PFAFFII, b. FRICKII, b. VERPOORTENII, BEAVSOBRII, ALBERTI, STOSCHII, Theol. Viadrini, ENSII, IS. VOSSII, RICH. SIMONII, RIGALTII, aliorumque, qua maximam sui partem a Doctiss. STOSCHIO excitatis, ex recentissimis addimus Vener. RATHLEFFIVM in *historia Autographorum Apostolicorum* §. 13. 14. 15. pag. 19. seqq., et Doct. Dnum IO. ERN. IMMAN. WALCHIVM, Prof. Ienensem, de *Apostolorum literis authenticis a Tertulliano commemoratis*, Ienae 1753.

intervallo ab ipso sejuncti, et **THEOPHYLACTVS**, qui expressis verbis scribarum Apostolorum hic faciunt mentionem. Vid. nota 1.

2. Id vero dissimulandum nobis non erit, a Patribus hac de re testaturis, id maxime requiri, ut non solum quibus figuris, ductibus et picturis literarum in scribendo usi fuerint Apostoli, accurate sciverint, sed etiam omnia eorum exemplaria primigenia inspexerint, utrumve propria Apostolorum manu, utrum vero aliena fuerint exarata, rite et accurate prius exploraverint. Quae omnia, si vel probari minus possent, vel potius contrarium eorum demonstrare nobis liceret, Patrum auctoritatem hac in re prorsus infringerent. Quamvis nunc equidem non negemus, potuisse **TERTVLLIANI** adhuc aevo certo constare, quid Paulus Petrusve scripserint, quibusve in scribendo ductibus literarumque figuris usi fuerint, quemadmodum nostris adhuc temporibus distinguere possumus, quid summus noster **LVTHERVS**, quid **PHIL. MELANCHTHON**, alique Theologi, tempore reformationis clarissimi, manu propria scripserunt, quid minus, nec id eamus inficias, Ecclesiam primaevam pro maxima, quam circa Canonem scripturae adhibuit, cura, sollicite annotasse, quinam Codices sint autographi et idiographi: id tamen nemo facile nobis persuadebit, vel **IGNATIVM** vel **TERTVLLIANVM**, vel alios quoscunque, omnes istos Europae Asiaeque adiisse locos, inter se distitissimos, in quibus authenticae Apostolorum literae (si forsitan superfuerunt omnes,) tunc temporis asservabantur, ejusve rei, utrum propria Apostolorum, an vero aliena manu exaratae fuerint, accuratius instituisse scrutinium. Et si forsitan, quod simpliciter negare nolumus, unum alterumve ex iis exemplar viderint, potuit esse unum ex iis, quae Paulus propria manu scripsit. Sic vero eorum testimonium nostrae sententiae non statim adversaretur.

§. 8.

His generatim praemissis, ad ipsa Patrum effata, ad quae Doct. Dno **STOSHIO** provocare placuit, accedendum nobis est. Quod si hic dicendum quod res est, certum esse putamus, nec **IGNATIVM**,



TIVM, nec TERTVLLIANVM, multo minus EVSEBIVM, id dicere, quod Doctiss. Dn STOSCHIVS putat, ceu ex accuratiori verborum, quibus utuntur, consideratione apparebit. Quantum enim ad IGNATII locum attinet, is sive *Ἀρχείων* i. e. Archivorum Ecclesiasticorum, sive *ἀρχαίων*, hoc est vetustiorum exemplarium in Archivis Ecclesiasticis asservatorum, mentionem injicit. Haec autem illa ipsa fuisse exemplaria primigenia et originalia, quae Apostolos et Evangelistas agnoscunt autores, ne quidem liquet. Potuerunt esse exemplaria alia ex primigeniis illis tanta cura descripta, ut originalibus suis exacte responderint, adeoque pro norma fuerint habita, ad quae omnia exemplaria, quae vulgi manibus terebantur, examinanda fuerint, ceu fatentur omnes, qui verba IGNATII sine praejudicio nimioque hypotheseos semel assumtae amore interpretati sunt 35). Et si concedamus primigenia illa exemplaria hic innui, ubi quaeso sanctus martyr id adserit, ea omnia Apostolorum manu fuisse scripta? Ex termino enim neque *ἀρχείων* (ut anteriora docent) neque *ἀρχαίων* id unquam deduci poterit. Quod si enim lectionem τῶν ἀρχαίων (quae

35) Sufficiat hic allegasse Cel. STOSCHIVM, Theologum Viadrinum, Doctiss. nostri Adversarii fratrem, in Dissert. de cura Veteris Ecclesiae circa libros N. T. §. 33. pag. 71. Dantur equidem, qui autographa s. primigenia hic intelligi putant exemplaria. Sic e. gr. Vener. RATHLEFFIVS l. c. §. 13. pag. 22. scribit: „Adversarii τὰ ἀρχαία s. ἀρχαία ποσcentes, haud desiderabant libros V. T. hebraeos graecosque. Hos enim ipsi possidebant. Neque postulant librorum N. T. inspectionem. Namque hi etiam ipsis erant. Quapropter flagitabant ipsa Apostolorum autographa. Sed ipsum, disputationis genus satis probat, ipsa autographa indicari. Disceptatur enim de aliqua Servatoris doctrina, quae optime ex autographis probari poterat“. Omnis tamen veri species hic deficit. Cum enim primigenia Apostolorum exemplaria non ubivis in Ecclesia, sed in certo tantum loco existerent, inque Archivis Ecclesiasticis asservarentur, nec probari unquam queat, ea apud Philadelphenses (adversarii autem cum quibus IGNATIO lis erat, in Ecclesia Philadelphensi debebant, ut contextus docet,) custodia fuisse, quamvis certissime adfuerint exemplaria, summa cura secundum ea descripta, et in Archivis reposita, quomodo quaeso! sanctus martyr ad ea respicere potuit?



(quae tamen maxime dubia est, ut agnoscunt plurimi, qui in huncce IGNATII locum commentati sunt,) hic admittamus, eamque ex interpretatione HESYCHII denotare credamus τὰ ἐξ ἀρχῆς παραδεδωμένα, quae significatio ad exemplaria primaeva et originalia quadrat; ne sic quidem obtinetur, quod vult Dn. STOSCHIVS, cum exemplaria primigenia quamvis Amanuensium opera consignata, propriaque Apostolorum manu subsignata, recte etiam vocentur τὰ ἀρχαία ἰ. ε. ἐξ ἀρχῆς παραδεδωμένα. Nulla igitur ratione Viro Doctiss: accedere possumus, sensum verborum IGNATII: quoniam audiui quosdam dicentes: nisi invenero in vetustis exemplaribus, vel in Archivis, in Evangelio exstare non credam, ita exponenti: id sibi voluisse adversarios: se, quae proponerentur in Evangelio vere ita reperiri, omnino negatum ire, neque admitturos esse, nisi exemplaria Apostolica, propria Divinorum virorum manu exarata inspicere, et conferre liceret. Quomodo vero iam autographum Apostolica manu exaratum exemplar, per quod lis omnis dirimenda esset, appellare ausi fuissent, nisi talia omnino in Ecclesiis conservata haberentur, 36). Et alio loco: utut enim cum obscuriore loco (locum IGNATII putat,) comparatum sit, et quamcunque versionem praeferre lubeat: sole meridiano clarius iterum patescit, tam IGNATIVM autographorum scripturae, tum in Ecclesiis asservatorum auctoritatem agnoscere, quam ejus adversarios acriter, pertinaciterque ad ea provocare, atque adeo tam orthodoxos, quam haereticos, illa, tanquam supremum quoddam ac infallibile tribunal, adire solitos fuisse 37). Sensum enim quem istis verbis tribuit, illis infert, non vero ex iisdem eruit.

§. 9.

Quantum vero ad priorem TERTVLLIANI locum spectat, ubi *literarum authenticarum Apostolicarum* mentio injicitur, libentissime concedimus, ipsum primigenia et originalia Apostolorum scripta hic indicare. Quod si enim solos codices graecos quoscunque intellexisset, quid opus fuisset, ut authenticarum appellationem addidisset, quid opus fuisset, ut adversarios suos ad eas ablegasset Ecclesias, quibus literae Apostolorum primitus destinatae erant, cum codices graeci in omnibus Ecclesiis reperirentur. Cum vero praeterea

has

36) l. c. pag. 63, 64.

37) l. c. pag. 66.



has literas cum cathedris scilicet sellis compareret, quibus ipsi Apostoli inter conventus Christianorum usi fuerant, quaeve teste EVSEBIO diligenter asservabantur, hasve literas sonantes vocem Apostolorum, eorumque repraesentantes faciem appelleret, certe non quosvis codices graecos, sed eos praecise, qui eodem studio ac cathedrae Apostolorum in Ecclesiis nominatim excitatis asservabantur, quaeve immediate erant ab Apostolis, inrelectos voluit. Quae omnia in solos codices primigenios et originales quadrant 38). In eo vero cardo omnis quaestionis nunc vertitur: utrum ex appellatione *literarum authenticarum* evinci queat, Apostolos propria manu scripsisse. Id quidem nulla ratione inficias eundem est, literas propria autoris sui manu exaratas recte vocari authenticas, ceu ex antiquiorum testimoniis discimus; qui vero versa vice procedere, et audito literarum authenticarum termino statim ad literas *ιδιογραφεας* delabi vellet, is certissime falleretur, et a genere ad speciem minus legitime concluderet, cum *αὐθεντικαί* scilicet autoritas scripto literisve longe pluribus conciliari queat modis. Quod si enim omnia loca in scriptoribus antiquioribus obvia, ubi scriptorum literarumque authenticarum mentio injicitur, accuratius pensitabimus, inveniemus, semper et invariate huic termino adhaerere hanc notionem palmariam et primariam, ut idem sit ac *scriptum aliquod habens auctoritatem et fidem non facile in dubium vocandam*. Quod vero cum variis modis contingere queat, imprimis, si, qui aliquid vel mandat, vel refert, vel promittit, vel praestare tenetur, propria manu id vel significat, vel aliena quidem id facit, ita tamen, ut ejus, a quo auctoritas scriptique fides dependet, manu subsignetur, vel is, qui aliquid refert, ipsis illis rebus gestis vel praefuerit, vel interfuerit, vel denique scriptum aliquod eum in finem consignetur, ut sit *πρωτότυπον*, cui alia conformari debeant; ideo factum est ut *τὸ* authenticum praeter notionem illam primariam secum conjunctam habeat adhuc aliam, eamque secundariam, pro diversitate casuum circumstantiarumque a nobis recensitaram, diversam. Quemadmodum haec omnia non adeo temere negari possunt, cum ex inductione omnium exemplorum! ubi *αὐθεντικαί* vocabulum, cum suis cognatis, occurrit, quorumve colle-

E

ctio-

38) vid. RATHLEP et WALCHIVS locis citatis,

1.
22
27
26
18
25
24
23
22
21
20
19
18
17
16



tionem instituerunt autores uno plures 39), imo ex solius TERTVLLIANI scriptis 40): ita literae authenticae TERTVLLIANO commemoratae, nihil aliud sunt, quam literae ab ipsis Apostolis primitus profectae, et a tota Ecclesia ut tales approbatae, quarum autoritas nunquam in dubium est vocata, aut vocari potest, quemadmodum dudum ab aliis observatum est 41), maleque nobis ratio cinari videntur, ut supra jam diximus, qui quando TERTVLLIANVM, ad literas Apostolorum authenticas provocare audiunt, statim ex eo concludere volunt: ipsum literas propria Apostolorum manu consignatas intellexisse, cum scriptio *ιδιόγραφος* non sit unicus ille modus, quibus scripto authentia quaedam conciliatur, quae aequae est firma et indubia, dummodo propria nostra manu sit subsignata, quamvis in reliquis aliena fuerit exarata. Atque ab hoc vitio se non temperasse Doct. Dn. STOSCHIVM, qui libet fatebitur, qui quae in verba TERTVLLIANI commentatus est, longiora quam ut hic a nobis recenferi queant, perlegere voluerit.

§. 10.

Circa alterum TERTVLLIANI locum, supra §. 7. nota 37. ex libr. IV. *adversus Marcionem* excitatum, brevioribus nobis esse licebit, cum manifestum sit, Dnum STOSCHIVM mentem TERTVLLIANI minus recte perspexisse. Scilicet, quid sint *Evangelia propria* haud assecutus est, quando putat, idem hoc ipso termino innui, ac Archetypa, propria Evangelistarum manu conscripta. Porro in eo aberrat a vero, quod scripta propria non solum ad Evangelia, sed etiam ad epistolas Apostolorum, inprimis Pauli, scriptaque omnia, ad Evangelicae doctrinae Canonem pertinentia, trahat. Notio enim, quam TERTVLLIANVS cum

- 39) Praefiterunt id ipsum S. vener. Dnus, CARPZOVIVS in *aurea Critica S. V. T. P. I. Cap. II. §. 2. pag. 61. 62.* et Doct. Dn. Prof. WALCHIVS l. c. p. 7. seqq. quorum uterque autores longe plures huc spectantes largo numero excitavit.
- 40) TERTVLLIANI loca recenfer Doct. Dn. WALCHIVS saepius citatus pag. II. in not.
- 41) vid. ex multis not. 37 allegatis, S. Vener. Dn. PFAFFIVS de *variis N. T. lectionibus Cap. 2. §. 4. pag. 37. seqq.* dignus qui legatur, et Dn. WALCHIVS l. c. pag. 10. II.



cum hac voce connectit, nullo modo ad epistolas Apostolorum
 quadrat, sed ad sola Evangelia, i. e. historias vitae Christi, quales habe-
 mus quatuor. Certe! quid TERTVLLIANO sint *Evangelia pro-*
pria, nec CICERO, nec EVSEBIUS nos docere debent, sed ipse
 TERTVLLIANVS, verborum suorum optimus interpres. Is
 vero inter Evangelia *Apostolorum* et *Apostolicorum* distinguit. Illa
 sunt Evangelia Matthaei et Iohannis, haec autem Marci et Lucae.
 Illis maiorem dignitatem et auctoritatem tribuit, quam quidem
 reliquis duobus, ideo quia Matthaeus et Iohannes fuerint Apostoli
 42), qui habuerint Spiritum S. in maiori gradu, ac Marcus et Lucas
 43), quorum Evangelia tandem per Apostolos fuerint confirmata,
 et ab iis suam habeant auctoritatem. Et hoc quidem est, quod per
Evangelia propria significat, ita ut *re proprium* hoc loco idem sit ac
 principale, quodve minus proprio, non parem ex se ipso, sed ab alio
 habenti auctoritatem et praerogativas, opponitur, sive ut TERTVL-
 LIANVS mox se explicat, Evangelium quod sub Apostolorum
 nomine editur, Matthaei scilicet et Iohannis, quodve ab Evangelio
 ab

E 2

ab

42) „Constituimus in primis Evangelicum instrumentum Apostolos,
 autores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab,
 ipso Domino sit impositum. Si et Apostolicos, non tamen solos,
 sed cum Apostolis et post Apostolos. Quoniam praedicatio discipu-
 lorum suspecta fieri posset de gloriae studio, si non adsistat illi auctori-
 tas magistrorum, imo Christi, qui magistros Apostolos fecit. Deni-
 que nobis fidem ex Apostolis Iohannes et Matthaeus insinuant: ex,
 Apostolicis Lucas et Marcus instaurant.“ Et alio loco: „Porro,
 Lucas non Apostolus, sed Apostolicus, non magister sed discipu-
 lus; utique magistro minor, certe tanto posterior, quanto poste-
 rioris Apostoli sectator. Pauli sine dubio.“ Vterque locus exstat
 libr. 4, adversus Marcionem Cap. 2, pag. 502. et 503. ex edit. RI-
 GALTII.

43) „Spiritum quidem Dei etiam fideles habent, sed non omnes,
 fideles Apostoli. Quum ergo qui se fidelem dixerat, adjecit,
 postea, Spiritum Dei se habere (loquitur de Paulo I Cor. VII. 40. ista
 verba de se adhibente), idcirco id dixit, ut sibi Apostoli fasti-
 gium redderet. Proprie enim Apostoli Spiritum S. habent in,
 operibus Prophetiae et efficacia virtutum, documentisque lin-
 guarum, non ex parte, quod ceteri. De exhortat. castitat. Cap. 4. pag.
 667.“



ab Apostolico profectum, Marci et Lucae, distinguit 44). Nihil hic igitur de Evangeliiis, vel ut Dnus STOSCHIVS vult, de scriptis ad doctrinae Evangelicae Canonem pertinentibus, manu Virorum sanctorum propria consignatis, conspicitur.

§. II.

EVSEBIVM vero inter testes, de omnibus libris Scripturae S. N. T., ab Amanuensis Spiritus S. manu propria conscriptis, relatum fuisse, miramur. Locus supra a nobis §. 7. not. 32. recensitus, de eo prorsus silet, et de Artemonitis Scripturae S. corruptoribus unice agit, qui commissi facinoris ex exemplaribus, ipsorum manu descriptis, convincebantur. Interim quod litera textus non habet, Doctiss. Dn. STOSCHIVS consequentis supplet. Quemadmodum enim ex descriptionis modo literarumque pictura, quae huic vel illi haereseos magistro propria erant, aditamenta et corruptiones, in exemplaribus perspiciebantur, ac impostura ad oculos commonstrabatur; ita eadem via ex literarum figura et ductibus Apostolorum manus et Archetypha cognoscebantur. Recte haec omnia quidem se habent; Apostolos tamen, inprimis Paulum, omnes suas epistolas propria manu, sine Amanuensium ministerio, consignasse, quomodo consequatur, vel EVSEBIVM Ecclesiamque ipsi coevam id credidisse, et ex epistolis Apostolorum integris, propria eorum manu consignatis, earum *αὐθεντικῶν* probasse, exinde elici queat, prorsus non videmus. Breviori via modum huncce probandi Ecclesiae antiquiori familiarem, quae scripta Apostolorum, inprimis Pauli, genuina sint, nec ne, Vir Doctiss. confirmare potuisset, nimirum ex 2 Thess. III, 17. 18, ubi Paulus expresse hanc regulam ponit, ex signo suo diacritico, ductibusque literarum sibi propriis *in salutandi formula* adhibitis, scripta sua genuina cognosci, et a suppositiis distingui debere; insimul vero ex isto loco discere potuisset, ad istum finem obtinendum suffecisse, dummodo pauca verba manu Apostoli in fine epistolarum adjecta fuerint. Diximus hac de re quantum satis est sect. II, §. 6. 7., quapropter plura non addimus.

§ 12.

44) Evicit id LARDNERVS in der Glaubwürdigkeit der evangelisch. Geschichte, Part. II. Tom. 1. Libr. 1. Cap. 27. §. 2. pag. 480. in not.



Supereſt adhuc locus PETRI ALEXANDRINI, qui ſub
 finem ſeculi III initiumque IV vixit, et in perſecutione Diocletiana,
 EVSEBIO teſte, martyrio coronatus eſt. Is ſuo adhuc tempore *ιδιο-*
χειρον Iohannis, i. e. *exemplar propria manu Iohannis ſcriptum*, in Eccle-
 ſia Epheliſina exitiſſe refert. Locus quidem eſt qua verba manife-
 ſtus, nullaque laborat obſcuritate, contra noſtram tamē ſentē-
 tiam nihil exinde colligi poteſt. Totum enim fragmentum ſup-
 poſitiis annumerandum eſt ſcriptis, quod adeo certum eſt, ut obſae-
 naris oporteat eſſe eum, cui id non ſuboleat. ATHANASIVS
 enim et EPIPHANIVS nominatenus citantur, Iohannes Apo-
 calypſeos autor *θεολογος*, Maria Chriſti Mater *θετόκος* audit, Im-
 perator CONSTANTINVS M. ſummo cum elogio allegatur, et
 ſynodi Nicenae mentio injicitur, quae certe omnia, tantum abeſt ut
 a PETRO ALEXANDRINO ſcribi potuerint, ut potius ad re-
 motiora tempora pertineant, longeque poſt perſecutionem Diocletia-
 nam, in qua autographa fuerunt perdita omnia, conſignata eſſe dici
 debeant. Ipſa vero de codice Iohannis *ιδιοχειρον* in Epheliſina Ec-
 cleſia exiſtante narratio, ad ſtabiliendum aliquod ſigmentum in medium
 profertur, ſcilicet Ioh. XIX. 14. loco *ώρα ὡς ἐκ]*, legendum eſſe
ώρα τρίτη, ut eo facilius cum Marco concilietur Iohannes, quod ta-
 men contra codicum vetuſtiſſimorum (ſi Cantabrigienſem excipias,
 qui in Graeco legit *τρίτη*, quamvis in adjecta verſione latina horam
 ſextam exprimat, pauciſſimosque nullius autoritatis alios, quos MIL-
 LIVS et WETSTENIVS excitant, excipiamus,) omnium, verſio-
 num, et inter has latinae et ſyriacae, Patrum et Interpretum, (ſi a
 NONNO diſcedamus,) ſidem factum eſt. Nec deeſſe inter antiqui-
 ores, qui PETRO ALEXANDRINO hac in parte contradicant,
 Amanuenſesque Iohannis ſtatuant, jam ſupra not. IO obſervavimus.
 Praeterea quid reſpondendum ſit iis, qui omnem hanc narrationem
 de Originali Iohannis non niſi errore populari niti credunt, quales ad-
 huc habemus alios, ſcil. de Autographo Iohannis literis aureis
 ſcripto, et apud Tholoſanos in Eccleſia S. Saturnini ſervato, plane non
 videmus, cum iſta tempora fabulis et ſigmentis fuerint ſeracia. Haud levi-
 oris vero momenti argumentum eſt, quod contra praefens PETR. ALEX.
 teſtimonium ex controverſia veteris Eccleſiae cum Alogis, qui poſt Apo-
 caly pſin, Evangelium quoque S. Iohannis Cerintho attribuerunt, deſumi
 poteſt. Quod ſi ille codex Iohannis idiographus Epheliſi exitiſſet,
 omnis lis ſtatim dirimi potuiſſet. Nunquam vero antiquior Eccleſia
 ad

ad hunc codicem, vel ad traditionem de isto codice olim Ephesi aservato, provocavit. Plura nunc non addimus 45). Nos interim facile concedimus, Iohannem scripsisse ipsum, sine intercedente Amanuensium opera, non quidem testimonio PETRI ALEXANDRI NI ad id inducti, sed eam ob causam, quia nullae adsunt rationes, quae ut ad Amanuenses delabamur, nos cogunt. Citra rationes autem aliquid statuere, idem est ac fingere. Qui autem, ut facit Doctiss. Dn. STOSCHIVS, concludere vellet: si Iohannes scripsit Evangelium epistolas suas manu propria consignarunt, cum facilius sit et consueto mori convenientius epistolas, quam integros libros, propria manu scribi, scriptasque mitti 46), is male rationes suas subducere recte censetur. Circumstantiae enim externae, sub quibus constituti erant Viri sancti, cum scribere deberent, in omnibus non fuerunt eadem. Potuerunt Paulo causae praesto fuisse, quae scriptionem propria manu reddiderunt impossibilem, quae tamen a Iohanne aliisque abfuerunt. Id quidem certum est, homini omnibus, ad scribendum requisitis, tam internis quam externis, gaudenti, perinde esse, utrum librum scribat, utrum vero epistolam; id tamen infirmum est et inconcussum, a scriptore abesse debere omnes difficultates insuperabiles, etiam externas, quae scriptionem *ιδιογραφοῦ* impediunt. Tales adfuerunt Paulo, de quibus in sequentibus sect. VI, Iohanni vero minus. Haec prorsus sufficere credimus.

§. 13.

Sit igitur penes B. L. iudicium, ex cuius parte stet veritas. Hic vero, ne iustas transeat limites nostra haec Dissertatio, subsistimus. Reliqua, quae supersunt, Deo, cui pro praestito hactenus auxilio humillimas decernimus grates, ita dirigente, prima occasione in publicum prodire iubebimus.

45) Conf. DION. PETAVIVS l. not. 33, cit., CAR. du FRESNE s. du CANGE in *Chronico paschali*, pag. 5. sqq. RICH. SIMON dans *l'histoire critique du Nouveau Testament* Chap. IV. pag. 41. sqq., et b. IOH. HENR. MAIVS in *examina Hist. Crit. N. T. Rich. Simon*, pag. 51. ipsi accedens, IOH. MILLIVS in *Proleg. ad N. T.* num. 734, nec non ad Ioh. XIX. 14, LAMPIVS in *Proleg. ad Evangel. Iohann.* libr. II, Cap. 2, §. 27. pag. 171, et in *Commentar. Tom. III.* pag. 582, in not., LARDNERVS in *der Glaubwürdigkeit der evangelischen Geschichte* libr. I. Cap. LXI. pag. 336. sqq. Addatur etiam Dn. RATHLEE in *historia autographorum Apostolicorum* §. 20. pag. 38. nota 45.

46) vid. STOSCHIVS l. c. pag. 75. 76. 80.

